31583/P

33

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE

SABINA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI,

Patroni ac Præceptoris æternum colendi,

PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI PROPOSITA

a

IOHANNE FRIDERICO KRAVSOLDO,

ISNACENSI THVRINGO,

IN AVDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVETIS,

A. D. *APRIL. ANNO* CIↃ IↃCC VII.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.

A SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEVR

IEAN GVILLAVME

DVC DE SAXE, IVLIERS, CLEVES, MONS, ANGRE ET VESTPHALIE, LANDGRAVE DE THVRINGE, MARGRAVE DE LA MISNIE, PRINCE DE HENNEBERG, COMTE DE LA MARCHE, SAYN ET WITTGENSTEIN, SEIGNEVR DE RAVENSTEIN, MON SERENISSIME SEIGNEVR ET TRES BENIN PRINCE.

LIBRARY

MONSEIGNEVR!

C'Eſt une Coûtume reçûe de tout tems, non ſeulement parmi les peuples qui vivent ſoûs l'Evangile, mais auſſi, parmi les payens, qui ont été un peu moraliſés & civiliſés, d'offrir & de ſacrifier très reſpe-

ctueuſement à Dieu & au Roi les premices de leurs travaus, Comme s'ils avoient voulû faire êclater par là aux yeux de tout le monde la juſte reconnoiſſance, qu'ils avoient des bienfaits & de la protection de leur ſouverain Maitre, pendant qu'ils avoient ête occupés à ces ouvrages, & tacher auſſi de s'attirer de plus en plus la continuation de ſa grace & de ſa Clemence. C'est dans cette vûë & pour cette même raiſon, *tres* ILLVSTRE & tres benin Prince, *que ie prends la hardieſſe de preſenter avec tout le reſpect, dont je puis étre capable* à Votre Alteſſe Sereniſſime *les premieres ebauches de mes jours academiques, comme vn très ſoûmis & très fidéle ſuiet* de V. A. S. *ſoûs la haute protection de laquelle j'ay û non ſeulement les premiéres années de mon education, mais j'ay auſſi pû traiter paiſiblement le cours de mes étu-*

ètudes jusqu' à l'heure preſente, afin de laiſſer à la poſterité un petit echantil'on de ma très humble reconnoiſſance. Et comme je n'ignore pas, que Votre Alteſſe Sereniſſime *fait ſes plus chéres delices, d'obliger ceux qui lui ſont le plus redevables, je vi auſſi dans la douce eſperance, qu'*ELLE *recevra d'un oeil favorable, & ſelon ſa bonté ordinaire ce petit ouvrage, que ie conſacre & dedie dans une profonde humilité à la Clemence de* Votre Alteſſe Sereniſſime, *la ſuppliant en même tems de continuër envers un ſujet très fidéle & très ſoûmis à ſes ordres, le cours des faveurs, qu'* ELLE *accorde ſi genereuſement à ceux, qui ſont profeſſion des ètudes, à finque ie puiſſe finir heureſement les miennes à la Gloire de Dieu, & à l'avantage de ma chére Patrie.*

Aprés cette foible dedicace, remplie

de zéle & de Soûmiſſion, je prie ardemment la divine providence de conſerver, encor une longue ſuite d'années La Celſiſſime Perſonne *de* Votre Alteſſe Sereniſſime, *auſſi bien que toute votre* Sereniſſime Maiſon, *dans un état heureux & floriſſant, & de faire toûiours de vos hauts & puiſſants états le theatre de ſes merveilles, la demeure de Sa grace, & le ſeiour de ſes delices. Ce ſont les voeux ſincéres, que pouſſe & pouſſera ſans ceſſe vers le Ciel, celui qui eſt, & ſera iusqu' au dernier de ſa vie, avec tout le Reſpet imaginable.*

MONSEIGNEVR

de votre Alteſſe Sereniſſime

très humble, très fidèle & très ſoûmis ſuiet

IEAN FRIDERIC KRAVSOLD.

PRÆFA-

I. N. I.

PRÆFAMEN.

ELeganter non minus ac vere *Helmontius*, per ignem & experimenta Philoſophus, herbas vocat pentacula diuini amoris, adde & omnipotentiæ & omniſcientiæ: æternum monſtrat quælibet herba Deum.

Primus terræ fœtus erant herbæ & arbores, creandi paulo poſt hominis in vſum, ſigna, ſigilla & delinimenta vera & genuina, mirandis characteribus prædita, diuini amoris, ſapientiæ & maieſtatis.

Tum omne vegetabilium genus & ſpecies celebrant diuini nominis gloriam, vt, quot plantas decerpimus, tot laudes creatori O. M. concinamus, tum maxime illæ ſtirpes, herbæ & arbores, vt cum *Tullio* loquamur, quarum vtilitates longinqui temporis vſu & periclitatione percepimus.

Et ipſæ erecto vultu ſuſpiciunt cœlum, ſurſumque affectant, & velut digito monſtrant, quorſum cogitandum & iter dirigendum ſit; vna vero & terræ infixis radicibus ſcrutandam tellurem, & diuiſas cum aperto corpore opertas opes reliquas.

Neque

Neque vero ſatis eſt, delectari oculos ſplendore florum, ſuperbientibus fructibus non fallacibus, foliis vel deciduis, vel perennantibus, aliisue mirandi opificii deliciis; extimæ veſti contra interiores vires exhauriri geſtiunt, & in vſus hominis cedere.

Faciunt huc & indigenæ, & exteri orbis incolæ, quæque alio ſub ſole natæ peregrinantur quaſi, & in noſtras aliasque terras illatæ non tam hoſpitantur, quam indigenæ quoque eſſe geſtiunt, tanto magis æſtimandæ, quanto propius vſurpandas ſe oculis & vſibus exhibent.

Singulæ decerpi, cognoſci, impendi merentur. Maxime vero dotibus conſpicuæ maioribus, compluribus vſibus, & ſic humano generi non vno nomine proficuæ.

Has inter ſi non primum locum ambit, ſaltim præcipuis annumeranda eſt SABINA, quam delibandam, mirandam ac rimandam elegimus: id quod vt bene euenire iubeat ſupremus omnium ſator, diuinum numen oramus!

CAPVT I.

De *Sabinæ Definitione nominali & reali.*

ET in *Plantis* nomina non negligenda ſunt, illa potiſſimum ſequenda, quæ velut genus, & differentiam conciſe præ ſe ferunt; & notionem ſic exhibent magis rei, intellectui & memoriæ conformem, adeoque faciliorem; ſed ob copiam ſummam, & vſum

vſum loquendi magiſtrum, id non ſperare licet, vel mutare quoque temere recepta. Inter alias vero denominationis rationes non paucæ a patria dictæ notantur, partim in genere, vt de herbis Germanis canit *Ouidius*, partim in ſpecie, vt mala Perſica, Armeniaca.

Et huius generis communiter reputatur etiam SABINA, de gente Sabina nominata. Vtut enim nonnulli Sauinam malint appellare, & ipſum β Græcorum illum ſonum videatur affectare, imo Galli, Itali, aliique id nominis, etiam in officinis, retineant & ſequantur quoque; ſi tamen fateri volumus quod res eſt, minus reſpondet vſus, & autoritas. Enimuero cum β Græcorum communius reddatur per b Latinorum, & apud claſſicos autores, vt *Ciceronem* ipſum, *Virgilium*, *Horatium*, aliosque Sabini populi audiant, non Sauini, conſectarium eſt, ſi ab illis ſabinæ nomenclaturam arceſſamus, recepto hoc modo ſcribendum & enunciandum eſſe. Et ſic quoque a *Plinio* & aliis ſcriptum legimus, vt ſi ſaltim Latine efferre idem & loqui velimus, rectius noſtra opinione *Sabina* dicatur & ſcribatur, quam *Sauina*; vel, ſi vel maxime ita cum vulgo placeat u vti, & per id magis quam b effari, cum eruditis tamen ſentiamus.

Perinde vero eſt, vtrum a Sabinorum regione dictam putemus, quod illo ſub climate abunde creuerit, & familiarius ac frequentius reperta fuerit, an ab iisdem culta magis, & in vſum vocata. Vtrumque enim potius ex antiquitate, imo poſterius magis fere demonſtrare integrum eſt, quod ſuo loco probabimus, vt de eo vix dubium ſupereſſe ἄξιον λόγου videatur.

Non deſunt tamen, qui dictam rentur q. d. Sebina, ἀπὸ τοῦ σέβειν, ſeu a *veneratione*, quod ſit planta veneranda, & veneratione digna, propter admirandas vires, quo de videri poteſt *Gouldmann* in dictionario Latino-Anglico. Id vero vt ſenſu medico eſt in re ipſa verisſimum, ita ſi illam analogiam, ſeu originationem, ſequi velimus, rectius forſan ſtatui debet, di-

ci ſic poſſe, ſiquidem illud placeat ſequi aſſertum, magis ob cultum, & vſum, cui impenſa fuit priſtinis ſeculis, vt ſonet, ex hac hypotheſi, quaſi herba ſacra. Quæ enim ſacra ſunt, vel ſacris vſibus impenſa, veneratione digna & σεβαστὰ ſine dubio fuerint, etiamſi quam maxime alias ſint minoris æſtimii & pretii extra hunc characterem, ſibi relicta.

Et ſic ad herbæ nomen prouehimur, quod apud *Plinium*, & *Virgilium in Culice*, *Apuleium* inprimis, & alios occurrit. Quamuis enim non herbam, ſed arborem eſſe omnibus conſtet, herbam tamen dici, & hodienum ita etiam præſcribi toto die, vſitatum fuit; ſeu latiori herbæ acceptione, ſeu quod folia herbacea maxime & potisſimum in vſum medicum vocentur & apparentur hactenus. Neque tantum herba Sabina audit ac dicitur, ſed etiam herba ſabinæ, quo ipſo etiam diſcrimen aliquod innuitur, prout vel totam, vel partem innuimus.

Alias vero Illyrii Sabinam appellarunt telum venabuli ſimile. *Ennius v. 306:* Illyrii reſtant ſicis, ſabinisque fodentes; vbi tamen *Feſtus* legit ſibinis. Et hanc ſignificationem, hodie exoletam, vel obiter tetigiſſe ſufficiat.

Græcis, autore primario *Dioſcoride*, audit βράθυς vel βράθυ quoque, quem hinc *Galenus*, aliique omnes quaſi ſolenniter ſequuntur. Apud *Theophraſtum* vero, quod notabile eſt, id nomen non occurrit, ſeu quod poſt illius ætatem magis frequentata fuerit, ſeu alio potius nomine illis ſeculis venerit. Vnde vero hoc nomen deriuandum ſit, minus liquet, neque enim omnium vocabulorum originatio æque patet, vel erui poteſt, quin primitiua ſint, vel illiquida ſaltim quamplurima.

Conueniunt quidem inter ſe βραδὺς & βράθυς, quoad ſonum generalem, ſeu elocutionem & pronunciationem; valet vero & hic, ſimilia ſæpius etiam eſſe disſimilia, neque inuicem adeo ſemper eſſe ſymbolica. Suffecerit nihilominus illa analogia comparata, quod ſabina, tanquam βράθυς æmuletur βραδύτητα quandam, ſeu tarditatem, vti apud *Theophraſtum* & in re ipſa hæc differentia ſtirpium & arborum non infrequens eſt, alia

eſſe

eſſe ſerotina magis, alia citius ſua germina, flores & fructus proferre.

Quicquid horum ſit, cum apud ipſum *Plinium* Latino etiam nomine brathy, tanquam ſynonymum ſabinæ, occurrat, non difficile fuerit, ex hoc fonte iudicare de arbore alio loco *l. 12. c. 17.* ipſi nominato, bratos, vt ex MSS. rectius legit *Harduinus*. Hæc vox enim ita detorta hinc fuit, vt ipſam velut brutam quandam hinc ſi non legerint, ſane effinxerint, idque tanto magis, quod hæc non ipſemet ſatis diſtinxerit. Dudum vero iam ab aliis probe notatum eſt, hunc Polyhiſtorem antiquum magis in excerpendo occupatum, quam in iudicando fuiſſe, magis theoria imbutum, quam praxi tinctum, magis memoria & obſeruatione, ſeu lectione varia, quam iudicio, ex quo non exigua legentibus confuſio relicta eſt, & exorta,

Pertinent huc alia quoque ſynonyma in textu *Anazarbei*, & nothis. In illo βάραθρον dicitur, quod abyſſum notat, & de viribus commode prædicari poteſt, vt citra hyperbolen effari liceat, inexhauſtis pollere viribus, abyſſum in eadem latere virium. In his, βάρυτον, apud *Apuleium*, *cap. 85. l. de medicam. herbarum*, latinis literis, ſed per th barython expreſſum, eo quod graui ſit odore, nonnullis βάρατον, boraton item & βάρον appellatur, quod eodem recidit, ſiue grauitatem ſubſtantiæ & molis, adeoque pondus æſtimes, ceu lignum ponderoſum, compactum, magis reſpectiue ſubſidens, minus rarum ac poroſum; ſeu qualitatis & virium itidem, nec leuioris æſtimii hinc habendum.

Tacemus nomina minus vſitata, vel controuerſa etiam adhuc, atque dubia paulo. Fruſtra hinc eſt *Apuleius*, quando Græci, *inquit*, eam nerion vocant, in quo tamen, quantum nouimus, deſtituitur autoritate, vel diagnoſi fallitur: nerion enim, ſeu rhododendron, alterius plane generis eſt, toto cœlo a ſabina differens, vt forma, & virtute quoque, citra cognationem vllam.

Maioris momenti *Thya* eſt, Theophraſto & aliis memorata. Vtut vero non pauci ſint, & inter hos præcipuus *Anguillara*, qui ſabinam rentur, neque ſine rationibus ſatis prægnantibus; malumus tamen de illa ſeorſim alio loco diſquirere, vt meretur, quam hic latius occupari, nondum vſitate & ſolenniter illa hypotheſi, vti tamen debebat, recepta.

Si ad Arabes diuertamur, duplex apud illos occurrit nomen برأثي, & أَبْهُل, quod poſterius & nucem ſabinæ, & ipſam arborem notat. Quamuis vero nonnullis videatur hoc quoque dubium nomen, adeoque, vtrum Abhel hoc *Ebnſinæ, l. 2. Tr. 2. cap. 5. p. m. 179.* & ſic reliquorum idem ſit cum ſabina; reuera tamen id negari non poteſt. Enimuero quæ de hac *Dioſcorides* & alii ſcribunt, de ſabina inquam, illa Arabs ſuo Abhel tribuit, vt vix dubium ſuperſit. Neque enim nucis nomen, vt fructus ibi nominatur, obſtat, ſi reputemus, laxius & latius nucis ſeu nuclei fructusque nomen patere, & analogiam ipſam collatorum inter ſe apud Veteres. Vnde non inepte *Andreas Bellunenſis*, inter alia, ex operationibus, *ſcribit*, (fructus) & ex foliis Abhel ſimilibus iudicari poteſt, quod ſit fructus ſauinæ, aut ſpecies eius & quod non ſit fructus iuniperi, vti in antiqua nominum Arabicorum expoſitione dicitur, & reliqua. Omni exceptione maius eſt teſtimonium *Serapionis*, qui duobus locis capite proprio de Sabina *l. de ſimplic. & Plant. c. 255.* & *capite 280.* de iunipero, id claris verbis confirmat, abhel eſſe ſabinam.

Tacemus, nonnullos ſabinam cupreſſum, alios cupreſſum Creticam vocaſſe, illa enim parum huc faciunt. Qui vero iuniperum Italicam vocant, *ἀκύρως, improprie* loquuntur, ob vſum communem, & quandam ſimilitudinem; qui *arborem Paradiſi* opinantur, teſte *Ionſtono l. 5. de arbor. Artic. 5. p. 1.* virtutum eminentiam reſpexere.

Germanis Sadebaum / Sadelbaum / expreſſe ſic ad arbores referendo, nominatur, cuius variationes ſpeciales hic illic

lic non opus eſt attingere. Noribergenſes vocant Segelbaum/ alii aliter. Id ſaltim velut coronidem addemus: quo plura arboris vel plantæ nomina occurrunt in botanicis, maxime diuerſis etiam linguis, & ſic apud plures nationes, eo digniorem, vſitatiorem, nobiliorem, & magis frequentatam, eandem reputandam; vtut per accidens ex illa copioſa ſynonymia facilis exoriatur confuſio, quod & ſabina ſuo loco experta eſt.

Conſultum hinc fuerit, ex antea iam cognitis, & per tot ſecula receptis phænomenis, formare & præmittere DEFINITIONEM. Quandoquidem enim inuentis non parum addi poſſe verum eſt, & dolendum cum *Helmontio*, a Dioſcoridis vsque tempore parum vel nihil καινότερον & huic benedicto medicamento acceſſiſſe ad recentiora vsque ſecula, tentandum etiam merito: plus vltra, vel communi opera & ſtudio, vel ſingulari quoque ſuſcepto, quod longe optimum.

Sicuti enim non in vitio ſed laude ponendum eſt, ſano ſenſu, apud Ægyptios olim, teſte *Herodoto*, ſingulis morbis ſingulos fuiſſe medicos; ita etiam quando ſingulari operamur, in noſtro foro, ſimplici, vel materiæ, per facta inprimis experinenta, & ſcrutinium intimius & curatius, erui poſſunt ſane alioqui neglecta, vel diffuſa, & minus cognita futura. Pluribus ſcilicet intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, & nullibi magis quam in medicina par eſt, in ſingulari, & indiuiduo occupari. Liceat hinc ergo & exinde melius ſperare de augenda ſic experientia, ipſaque arte.

Breuiter itaque definiri poteſt, recepto in ſcholis & iure merito retinendo more: Sabina eſt arbor, perpetuo virens, foliis acutis partim cupreſſo, partim tamariſco ſimilibus, baccifera, odore graui, penetrante, nec ingrato, ſapore acri-amaro, cum adſtrictione quadam, viribus medicamentoſis polychreſta.

GENVS eſt arbor, id enim res ipſa loquitur. Notabile eſt, huius vnius fere arboris folia, ſeu herbam, in vſum me-

dicum cedere ampliſſimum, ſi malabathrum exceperis, quod folium Indum vocant, & ebulum, quæ ipſa tamen longe poſtponenda ſunt, & rarioris vſus, neque comparanda cum ſabina vllo modo; adde nec iuniperi, vel cupreſſi & cedri quoque, ex analogis. Adeoque nec hodie deſinit recte ſic præſcribi.

Recenſetur inter arbores a *Dioſcoride*, & qui herbam vocant, per iam dicta, ad bonum ſenſum trahi poſſunt. Nec enim frutex, verbis *I. Cornarii comm. in Dioſcor.* ſed iuſtæ fere magnitudinis arbor eſt. Vnde non ſequendi, qui ad frutices bacciferos, ſemper virentes, referunt, cum ad arbores potius ſpectet.

Arboris enim forma non tam a proceritate, quam ſoliditate lignea æſtimanda eſt, vnde licet arbuſculam vocent quidam, & pumilam, id curandum non eſt. Sunt eiusdem moduli arbores complures, quæ idcirco non deſinunt eſſe tales vel dici, exemplo iuniperi erectæ ipſius, (ne de taxo dicamus,) mori, malorum perſicarum, armeniacarum, corni, meſpili, coryli, aliarumque.

Sabina vulgaris eſt, non rara hodie, alibi ſylueſtris, apud nos hortenſis, vnde & in quibusdam taxis, quas vocant, ita vocatur, ad differentiam forte ſyluaticæ abuſiue, ſic nominatæ. Communiſſima ſane omnium arborum odoriferarum eſt ſabina. Sed hæc rectius patebunt, ſi ſpecies, & differentias hinc ſpecificas, quomodo a ſe inuicem differat ſabina, & quomodo ab aliis diſtinguenda ſit eadem, viderimus.

"Εἰδη δύο, inquit *Anazarbeus*, ſabina *duorum generum* eſt, interprete *Ruellio*, ſeu duæ potius ſpecies vſitatiores eiusdem. Diſtinctæ hæ ſunt partim a forma externa analogica & comparata foliorum, magis vſitatorum, partim aliis; vna quidem foliis cupreſſo ſimilis, altera tamariſco. Sequuntur in hoc anteſignanum ſuum omnes fere botanici, quando ad demonſtrandas has ſpecies deuentum eſt, vt curioſius illas libemus, & alteram ab altera in hoc diſtinguamus.

Reliqui vero medici, antiqui & recentiores, tantum non omnes, ſabinam vnam ſolam nominant, citra diſcrimen vllum, quod apud *Galenum*, *Oribaſium*, *Aetium*, *Paulum*, *Apuleium*,

vi-

videas, idemque in materiæ medicæ recenſione obſeruatur, vt hoc ſenſu non fere niſi vnam ſolam audias ſabinam, vel ordinatam legas, indefinite. Et ſane vires communes vtrique non obſcure indigitat *Dioſcorides*, botanicorum pater.

Sunt tamen quidam hodie, qui ſolam ſabinam tamariſci folio officinalem & vulgarem definite nominant, non item alteram cupreſſi folio, adeoque videntur hanc excludere, ſeu quod forte non dari apud nos putauerint, minus recte, ſeu quod præferenda ſit prior, contra mentem *Dioſcoridis*, cuius textum tanquam claſſicum nobis ſequendum duximus. Videatur de hoc *Schröderus* in *Pharmacopoeia*, & cum eo idem faciens *Dale in Pharmacologia*. Imo *Schröderus* cupreſſi folio duplicem nominat, primam & ſecundam.

Hoc vt inquirentibus curatius facile perſuaderi poteſt, quod vix melius apparet, quam ſi duæ illæ ſimul combinatæ conſpiciantur, vti in vicinia in horto quodam confertæ ſunt, ad hoſpitium diuertenti illuc gratum: ita rectius vtramque licet recipere, cum & odore, quamuis itidem paulo differente, & viribus conueniant. Quin nonnulli confundunt illas ſpecies, vt quæ hic de vna, alter de altera afferat, quod conferentibus autores apparet admodum veroſimile.

Aliis vero placet, miſſo illo a foliis aliarum arborum ſymbolicarum petito diſcrimine, marem potius & fœminam nominare, quod ſubordinate non incongruum eſt admittere, & modo quidem duplici, (1.) reſpectu foliorum, (2.) reſpectu fructuum, ſeu baccarum, ex hypotheſi, aliam eſſe bacciferam, alteram ſterilem. Sane ſi noſtro iudicio id efferre vel decidere licet, ſabina cupreſſi folio maris titulum meretur magis, ſi cogitemus vel ponamus eſſe illam maiorem, foliis reſpectiue, & ipſa etiam longitudine caudicis, alteram autem tamariſci folio, minorem & tenuiorem vtroque intuitu, quicquid etiam fuerit de baccis.

Res eo redit, iuxta communiſſimam diſtinctionem plerorumque, vt duæ ſpecies vſitatiores ſint, ſabina cupreſſi folio, &

ſabina tamariſci folio. Qui his tertiam addunt non inepte, vt autopſia concinere videtur, faciunt cupreſſi folio duplicem, maiorem, & minorem, quæ vulgatior eſt, quæ itidem, ſi iuxta ſe poſitæ conferantur, facile patent. Notabile vero eſt, in vna eademque arbore aliquando differentia inter ſe folia reperiri, maiora & minora, vt & ſic cupreſſi & tamariſci referat ſimilitudinem.

Quatuor vero ſpecies emergunt, ſi ſequamur curatiſſimum Botanicum, *Mantingium*. Huic enim audit & conſtituitur (1) Sabina humilis, (2) Sabina baccifera folio cupreſſi, (3) Sabina bacca cœrulea, (4) Sabina baccifera Syriaca, minus ferens frigus. In quo & nos acquieſcemus; mirandum interim, a celeberrimo *Turnefortio* Sabinam plane intactam reperiri.

CAPVT II.

De
Qualitatibus & affectionibus Sabinæ.

QVod ſi qualitates & AFFECTIONES porro luſtremus, *κολοβὸν τὸ δένδρον, curta arbor*, dicitur *Dioſcoridi*, ſeu, vt alii vertunt, coactæ breuitatis, (cuius loco *Matthiolus* legit *ἰσχυρὸν, robuſta,*) quod verbis ſequentibus illuſtrat, *καὶ εἰς πλάτος μᾶλλον χεόμενον, & ſeſe magis in latitudinem fundens.* Enimuero proceritas differt, prout ſibi relinquitur, vel cultus & ſoli quoque diuerſitas accedit.

Robuſta ſane eſt & ſolida quoad truncum, ſtipitem & corporaturam, vnde ad torneamenta quoque apta, & alia e lignis producenda arte facta; ſed neglecta quaſi ramos diffundit *εἰς πλάτος, in latum* magis, quam *εἰς μῆκος, in altum*

altum & *longitudinem*. Idque ſeu ob copiam, ramos enim plurimos exporrigit, ſeu ob grauitatem hinc conſequentem, non aliter ac vel niue grauatæ arbores dimittunt ad inferiora ramos, & velut brachia ſua. Confert huc & grauitas natiua, ob ſal & ſulphur abundans, & folia, ſeu herbam ſuam, minus leuia & tenuia, vt in aliis foliis arborum deciduis.

Plura, quæ ad hanc diuerſitatem arborum ſpectant, & ad ſabinam commode etiam applicari queunt, legenda extant apud *Theophraſtum l. 1. Hiſt. Plant. c. 8.* Ex his illud vnum memorabimus, quod inter differentias has plantarum ſint τὰ μὲν ὀρθοφυῆ, καὶ μακροστελέχη, τὰ δὲ σκολιώτερα, καὶ βραχυστελέχη, *aliæ proceræ & longo caudice, aliæ contortiores & caudice breui.* Priorum exemplum eſt cupreſſus, poſteriorum ſabina ſeorſim.

Et hinc fit, vt deſcendant ſenſim magis expanſi late & curuati rami laudati, adeo vt terræ contactum quaſi affectent, deorſum vergentes, niſu tamen interim extremitatum ſurſum tendente, ita, vt fine obtento, actuque terram inferius parte aliqua aſſecuti & radices ſponte agant. Et hinc per ſurculos hoſce plantatur, propagine maxime naturali hac multiplicanda, & auulſione, quæ tamen ſi ſtatim fiat ſeparatio totalis, non tam feliciter & cito, reuera tamen itidem ſuccedit, dummodo loco vmbroſo locetur ſtolo, nec humidum deficiat, menſibus vernalibus, præcipue Aprili. Ad inſtar roſmarini id fit, non tamen, quod *Plinius* vult, quoniam neutris ſemen inſit, ſed quod ſemen hoc illis ſit magis diffuſum & materiale, vt in pluribus quoque aliis.

Folia in cupreſſina vt craſſiora, ita & duriora & acutiora; ἀκανθωδέστερον *ſpinis horridior, ſpinoſior*, reddunt. Ipſe vero textus non tam ſpinas manifeſtas, vt in iunipero, quam ſpinis ſimile quid innuit, quoad acutiem aliquam. In altera tamaricis folio, ſeu fœmina, molliora omnia, quod tamen in recenti valet magis, & comparate. Et quoad hæc inter ſempiterna, ſeu conſtanti fronde virentia, ἀειθαλῆ numeratur & refertur merito ſabina, ἀείφυλλος, termino *Theophraſti Ereſii*,

 foliis

foliis ſingulis annis, tempore & frigore hyemali, non deciduis, ſed perennantibus.

Commune id habet cum ſui generis aliis, apud nos pinaſtro, abiete, picea, iunipero & aliis, frigoris aſperitate & ſæuitia defenſis poris ob balſamicum ſulphur eminens, in quod non inuenit rigor ille vim ſuam, nec exercere poteſt, acceſſu denegato, vnde perdurat immota; non ſecus ac aliæ quoque arbores noſtrates, minus coagulabili & gelabili ſucco nutritio, non pereunt frigore, etiamſi foliis orbentur. Viror vero hic plantarum, & perduratio illibata conſpicua in aliis quoque eſt ob ſal volatile, minus aqueum, vt in naſturtio hyberno, cochlearia, olere albo, & reliquis, quæ velut alterum genus conſtituunt horum.

Baccarum quoque facienda eſt mentio, quod a *Dioſcoride* non factum eſt, non ideo, quod illas ignorauerit, vel negauerit, ſed quod in cenſum & vſum medicum minus venerint in hunc vsque diem, vt contra ea baccæ in iunipero primas tenent, non item folia. Vnde ex eadem cauſa non meminit floſculorum, quibus a menſe Martio conſpicua eſt ſabina, non conulis quidem, vt aliis placuit nominare, ſed flaueſcentibus petiolis, ſeu eminentiis, quodammodo ſtœchadis citrinæ floſculos ſuo modo æmulantibus in principio, hinc ſenſim denſatis velut in corollam.

Neque opus eſt hinc operoſius hoc loco lignoſæ ſubſtantiæ meminiſſe, nec radicum, nedum extraordinariarum quarundam partium, ſeu in ea ſuo tempore aliquando videndarum. Ceteroqui craſſior eſt iunipero ſabina, qua cum & cortice & ligno fere conuenit magis. Baccæ vero iuniperinis fere æquales figura, imo & ſuo modo e viridi in fuſcum, & tandem in nigrum ſucceſſiue colorem deflectentes, longiori nempe tempore ſeu mora matureſcentes. Pulpa baccarum harum maturarum viridis eſt & mollicula, vnica intus, rarius duabus nuculis, ſeu acinis, reperiundis egregiis. Non autem in reliquis conuenientia eſt, vnde nec iuniperum ſabinam

nam bacciferam eſſe aſſeri poteſt, quod nonnullis viſum fuit, pluribus de hoc legendis apud *Matthiolum*.

Vti ergo cum cupreſſo plurimum conuenit, & ab eius ſimilitudine mutuata eſt etiam nomen ſpecies maior, & ita quidem verbis *Caſp. Hoffmanni*, vt operæ ſit pretium diſtinguere ante, quam baccæ ſe oſtendant. Adde, quod cupreſſi folia ſint viridiora. Rami etiam ſabinæ, ceteroqui flexiles, lateraliter magis, & confertim admodum in continuitate & contiguitate, ſi non erumpunt, pluribus productionibus ſaltim inclinant.

Cum vero *Plinius*, *l. 24. c. 11.* poſt ſabinam mox addat: ſimilis herbæ huic ſabinæ eſt ſelago appellata, factum eſt, vt a quibusdam botanicis & hæc, ſeu muſcus terreſtris clauatus, alioqui ſatis & celebris & vtilis, inter ſpecies ſabinæ fuerit relata, ſed admodum incongrue, cum toto cœlo, ſeu toto genere, potius, differant, quod vel verbo tetigiſſe ſufficiat.

Non incommodum fuerit & patriæ meminiſſe. In genere locis orientalibus magis & calidioribus ſponte prouenit, quam frigidioribus plagis, in quibus tamen hodie indigenatum indepta largiter creſcit, licet videatur apud nos reſpectiue paulo temperatior. In Arabia reperiri teſtatur *Diodorus Siculus l. 2. c. 12.* vbi montes ait non ſolum abietes ac populos proferunt, ſed cedros, & quem vocant baraton, quod in γύρατον & βόρατον deflexere quoque.

Vtrasque ſpecies eſſe familiariſſimas in Italia, αὐτόπτης ſcribit *Anguillara Parere II. ſopra i. ſemplici*, *p. 46.* & primam, quidem extra hortos magis in Abruzzo in montibus; alteram in Sclauonia. Alii, autore *Cæſalpino*, in maritimis, & petroſis creſcere ſcribunt. Pluribus inſiſtere non opus eſt, vti in monaſteriis pro vtroque ſexu ſolennem eſſe non pauci referunt, ſaltim pro ornatu, & vt topiarium vario cultu inflexam, & educandam etiam in pyramides ſatis altas, nedum in caſulas, pro lubitu.

Vt vero baccas repetamus, quamuis alteram baccife-

ram, alteram ſterilem vocent, easque confundant etiam, per dicta, non raro; vtrique tamen ſpeciei qui idem arrogent, non deſunt. Variat id enim pro ratione ſoli, locorum, ætatis, vti in ſtrobilis abietis, picearumque, in iunipero ipſa, non per omnia ſimiles fructusvidere licet, quod vlterioribus experimentis explorare integrum erit.

Ioh. Bauhini elogio *l. 9. Hiſt. Plantar. c. 21.* baccas fert, vtraque, iuniperis æquales, quas virentes & ex albido cœruleo quodam colore tinctas tubercula quædam obſident. Cum in arborem excreſcit, ait *C. Bauhin. in Pinace l. 12. S. 15. p. 487.* (de cupreſſina,) quotannis baccas, iuniperinis ſimiles, producit. Tacemus differentiam etiam a cedro ibidem memoratam, quoad baccas, in qua baccæ maiores phœnicei coloris ſint.

Odore & ſapore deſcribitur *βρά θυς βαρύοσμον, δριμὺ, πυρωτικὸν, grauiter olens, acris & feruens*, apud *Dioſcoridem.* Aliis odor ingratus definitur, aliis fœtidus omnino, vt apud *Macaſium*, in *Promtuario materiæ medicæ.* Mitius vero & optime *Galenus l. 6. de ſimpl. med.* ἀρωματικώτερον definiens, magis *aromaticum*, quod interpres quidem in parentheſi, ſeu paraphraſi, odoratiorem, vertit, quæ vox tamen ἔμφασιν vocis Græcæ, & rem ipſam vix ſatis exprimit. Reuera enim aliquid aromatici, ſuo ſenſu & loco, & per ſe, & reſpectu cedri, odore & ſapore habet, ſpiratq; quaſi citrinum vel aurantiorum odorem æmulum. Neque enim inamœna eſt fragrantia, niſi forſan delicatioribus, & ſaporem ex acri-amaro & aſtringenti mixtum quaſi ori offert, vt recte idem *Pergamenus* iam annotauit. Optime id in pulueriſatis foliis obſeruari poteſt, quod prima fronte non occurrit, vel putaueris; quod & de aliis aromaticis valet. Lignum ipſum gratiorem fere odorem de ſe fundit, conciſum & contuſum.

Et hinc, conſiderata hac mechanica & examine genuino, ſabina communiter in primis qualitatibus, vulgo dictis, ſeu TEMPERIE, *Calida* & *ſicca* ſtatuitur, & quidem tertio ordine & gradu; ſed, ſi id addere licet, manſione ſaltim prima, maxime tenui-

nuium partium, λεπτομερής, diuiſa tamen illa & moderatiori, ob particulas terreas intertextas cum ſalino-ſulphureis ſpecificis.

Notabilis locus eſt apud *Cardanum l. 4. de ſanit. tuenda, c. 36 p. 288:* Serpentes ſabinam amare adeo proditum eſt, vt circa plantam, in agro Comenſi, viperarum multitudo maxima conuenerit, plures quoque ſuper arborem repunt. Ego id nondum compertum habeo, ſed id plane compertum, vnumquodque genus animalium certo genere plantarum delectari. Hactenus ille. Coniicere liberum eſt, an gratioſa vmbra, an ſuaui & grato odore, fragrantia balſamica, ſeu effluuiis amicis aliis fuerint allectæ.

CAPVT III.

De Viribus Sabinæ & vſu.

CVm itaque ſabina his elementis gaudeat, hac TEMPERIE, vlterius de VIRIBVS & VSV diſpiciendum eſt. Miranda enim natura & contemplatione eſt digniſſima, verbis *Dalechampii Hiſt. Plant. Lugd.* Hic ad eas plantas refert, quæ in dumetis naſcuntur; ſed id habet etiam cum aliis commune, non natura, ſed arte, vel negligentia. Idem enim fatum habet & tilia ipſa, oſtrys *Theophraſti*, ſeu fagus ſepium hinc audiens, & aliæ. Vires habet aperientes, incidentes, attenuantes & reſoluentes inſigniſſimas, quas ad duas ſpeciales communiter & potiſſimum retulere Autores, diureticas & emmenagogas.

De DIVRETICIS textus *Dioſcoridis*, quem *Galenus*, *Ebnſina* & plerique alii ſequuntur, ita habet: ἐ αἷμα δι' οὔρων ἄγει, & (folia) *ſanguinem per vrinam ducunt.* Quis non deterreatur ab vſu interno, qui hæc legerit, eſſe plantam hæmagogam? Sed mitius hæc & mollius explicanda experientia & vſus teſtatur, in quampluribus compoſitionibus toto die recepta ſabina. Nec obſeruationes extant huius conuitii, ſeu facti, nec alia. Imo

contrarium potius, vtiliter propinatam, citra hunc metum, certum eſt.

Ponamus etiam, illud aliquando factum, nec ideo tamen reiicienda fuerit. Quis neſcit, cantharides id potius præſtare, maioribus acrimoniæ ſalinæ roſiuæ cauſticæ ſtimulis? Neque ideo tamen abſolute damnantur, etiam interius, modo caute & acciſa doſi id factum fuerit. Imo non raro effectu æquiuoco talia fiunt, vt ab opio ipſo mictus cruentus ortus legitur, laborante calculo ægro ſine dubio, quo de vid. *Rolfincius in Chimia p. m. 248.* cum tamen mictum cruentum potius curet.

Adeoque dixerimus quoque, poſſe explicari idem meliori ſenſu, per vrinam educere ſanguinem, reſtitantem in veſica grumoſum, reſoluendi virtute, vti ſunt, qui ſtranguriam & dyſuriam curare ſcripſere. Quid multa? Egregius locus eſt & obſeruatio *Leonh. Iachini comm. in l. 9. Rhaſ. cap. 64. p. 568 l.* de virtute lithontriptica, & quidem ex manifeſta, inciſoria & exterſoria qualitate. Ego vero, neruoſe *inquit*, vſus ſum ſabina, & PROFVIT.

De vi EMMENAGOGA adeo clara ſunt communia ſuffragia, vt tantum abſit, vt quisquam de eo dubitet, vt potius *Dioſcorideum* textum cordi habeant vulgo: *ἔμβρυά τε ἐκτινάσσει, fœtus, ſeu immaturos partus, expellit.* Fœtum & viuentem, vt alii efferunt, interficere ſcribitur, & mortuos eiicit. Si ergo quæratur, quid ſentiendum ſit de vi hac ad fœtum enecandum, & pro pulſandum, quo ſcelere meretrices hanc plantam amant, & ſeligunt, caute reſpondendum eſt.

Vtut vero communiſſimum hoc ſit aſſertum, & ſpes meretricum infamium in eo fundetur, plurima tamen proſtant exempla, earum, quæ ſine vllo effectu integras quaſi menſuras decocti biberunt. Hinc poſt, quam vidimus non paucas grauidas dyſentericas, centenis & amplius ſedibus afflictas, cum immanibus torminibus, abortum tamen inde non paſſas, & non niſi vnam mortuam, quæ neglecta fuerat, ab eo tempore ſtatuimus magno auſu opus eſſe, ſi quis exturbare

fœtum

fœtum velit, &, niſi adſit diſpoſitio, laxitas vaſorum, & fœtus ipſius debilitas, ſpe ſua hac deiectas ſceleſtas.

Egregie *Rolfincius ord. & meth. comment. l. 9. S. 6. c. 1. p. 829.* inde, ſcribit, infame ἀπόκιον habetur. Notum tamen eſt, decoctum, oleum, balneum iterato vſurpata nullam fœtui intuliſſe noxam. Menſtruo ſanguini vias monſtrat. Confer, *Zittmannus Medic. Forenſ. Cent. I. caſu 26. p. 89. & Cent. 6. caſu 43. p. 1542. ſeqq.* vbi plura habentur. Adeoque in definiendo hoc aſſerto probe omnes & ſingulæ circumſtantiæ ſunt examinandæ, ne temere & promiſcue id ſabinæ acceptum feratur.

Ad mortuum vero fœtum eiiciendum, & partum ipſum facilitandum eiusdem adhibitionis alia eſt ratio, tunc enim agit natura, quæ hoc pondere ſe liberare geſtit. Neque tamen ibi quoque tam potenter ſe gerit, vt B. *Ludouici* ſcribat, dediſſe ſe oleum ſabinæ deſtillatum ad guttas VIII. X. in partu difficili, obſtructione menſium, vt & ipſum extractum, &c. raro cum effectu, quod tamen non tam pro derogandis viribus, quam de prætenſa violentia dictum eſto.

Hinc *Galenus* etiam, *Ebnſina*, quique alii idem vno ore quaſi aſſerunt, fœtum viuum enecare, mortuum expellere, mitius explicandi, poſt, quam experimentis hodiernis magis exploratæ ſunt vires & facultates. Notabile hinc eſt, ſabinam militare inter emmenagoga magis ſpecifica & pellentia, præmiſſis præmittendis aliis, & aperientibus communibus commode ſubiungi, vt Colophonem, per ſe & cum aliis accommodis, modo recte vtentem inuenerit.

Ob conſimiles vires aperitiuas, abſterſiuas & ſaponarias, mundificantes, & internis & externis malis non paucis opem fert eximie. Sic in vino infuſa vel decocta ad vitia pectoris ex frigida pituitoſa cauſa conducit, ad aſthma cum hyſſopo, butyro & melle a *Trago* aliisque commendatur, vt & contra icterum, frigidum puta, item ad dolorem ventriculi & inteſtinorum ex flatibus, cum vino apparata.

Hæc vt claſſica & recepta ſunt, vel eſſe debent, ita mentio

tio quoque facienda virtutis PVRGANTIS. Rarius hoc eſt aſſertum, neque ita vulgatum, vel receptum, ita vt videri poſſit enata hæc hypotheſis ex *Dioſcoridis* textu laudato, quod ſit hæmagoga, quod inter ἐκβόλια communiter numeretur, vnde colligas purgandi virtute id factum, vel fieri.

Sed, ne ſine autore id proferamus, legi meretur id aſſerens *Guil. Du Valin phytologia* ſeu Philoſophia plantarum, vbi inter herbas purgatrices, ſiue catharcticas *n. 29.* poſt mercurialem refert ſabinam *p. 343.* Minimum eodem iure fuerit huc locanda ac polypodium, epithymum, tamarindi, purgantibus ſaltim vtiliter conſocianda. Noſtro arbitratu pulpa baccarum viridis, & laxatiuum eſt egregium & potiori merito deprædicanda, ac *Helmontius* rob iuniperi ſolutiuum vocat omnibus officinarum compoſitis præluceus, *l. de febb. c. 6. t. 13. p. 761.*

Seorſim quoque memorandæ vires ANTHELMINTICÆ. Animatæ enim, non minus ac cuicunque, putredini, & fœtori, vt oris ipſius, aliis contra contraria, vermes omnis generis, & ipſum etiam lumbricum latum apprime enecat. Nouimus nos, verba ſunt *I. Raii Hiſt. Plant. l. 25. c. 3. f. 1416.* ſucci expreſſi ſabinæ, cum lacte mixti, cochlear vnum, ſaccharo edulcoratum maximo cum ſucceſſu pueris verminantibus exhibitum. Eſtque ſane medicamentum efficaciſſimum & minime periculoſum, quod poſt alia multa incaſſum vſurpata optatum ſæpenumero, ne dicam ſemper, ſortitur effectum etiam in deploratis pene. Equis etiam & bobus in eundem vſum frequenter exhibetur. Et hinc non ſolum interius proficua eſt, ſed maxime etiam externis non paucis morbis feliciſſime ſuccurrit, laudatis illis communibus & ſpecificis qualitatibus prædita, calefaciendi, ſiccandi, incidendi, reſoluendi, diſcutiendi & diſſipandi, abſtergendi, leniter exedendi, condiendi, & aliis.

Addi hiſce meretur diſquiſitio vlterior, v. g. de vi NVTRIENTE, ſeu alimentoſa-medicamentoſa. Occaſionem præbet locus *Iuuenalis l. 1. Satyr. 3. v. 85.*

Vsque

Vſque adeo nihil eſt, quod noſtra infantia cœlum
Hauſit Auentini, bacca nutrita Sabina;

quod interpretes communiter de oliua, ſeu fructibus & cibis Italicis, intelligunt, vt ſit ſpecies pro genere.

Sed quid obſtat, quo minus eodem, imo potiori iure, explicemus verba, prout ſonant, de bacca ſabinæ, vel inde parato rob, quod in vſum cedere potuit, medicamentoſum, (qualis ipſe eſt oliuarum,) in torminibus, vermibus aliisque malis infantum, ad inſtar rob baccarum iuniperi, vel ſambuci & ebuli. Cum enim illi non nouerint vel baccas ſabinæ, vel vſum, ad oliuas delapſi ſunt, facile ſic excuſandi.

Tangendus etiam eſt vſus DIAPHORETICVS. Sane quod ab aliis lignis quibusdam expectari poteſt, pari, ſi non meliori effectu, præſtat lignum ſabinæ, ne de herba ipſa dicamus. Dedimus ſæpe in decocto pugillari brodium, facili ſudore inde habendo. Idem de aliis apparandi modis valet, vſu renouandi, abſtergendi, mundificandi, in ſcorbuto, lue venerea, ſcabie, & ſimilibus.

Nec indictus dimittendus vſus CONFORTANDI, qui debetur coniunctis viribus adſtrictoriis: quandoquidem dum digerunt medicamenta ex ſabina, aperiunt, reſoluunt, aliaque præſtant, fibrarum tonum ſimul reſpiciunt, quod commodiſſimum eſt, vt alterando roborant elaterem virtute tonica gaudentia.

Vix paria habet in tumoribus frigidis, conſiſtentibus, reſoluendis, abſumendis. Sic in gangliis diſcutiendis optime ſe gerit, tum aliis formis, tum oleum eiusdem, cum aliis ſimilibus remixtum, in litu repetito. In verrucis tam aliis, quam venereis, ficubus, condylomatibus facit officium; imo & verrucis palpebrarum. Ego, inquit *Fabricius ab Aquapendente l. de operat. chirurgicis f. 18.* dimiſſa chirurgia, quæ omnino dimittenda eſt, quando medicamentum ſanare poteſt, tuſam portulacam, vel ſabinam puluериſatam ſubinde ſuppono, & verrucas extermino tum ex palpebris, tum ex omni alia corporis parte.

Idem valet de polypo narium, & fungis cerebri, ipſiusque penis. Maxima in his vis eſt abſumendis, exiccandis & deprimendis, ſiue in ſubſtantia applicetur, per ſe & cum aliis, ſiue in ſucco, eſſentia &c. Idem valet de carne luxuriante, & vlceribus, ad quæ iam deferimur, fungoſa, ichoroſa, Gallica, cancroſa, & ſimilia. Laborabat vir quidam primarius tali excreſcentia, ſeu vlcere luxuriante, circa pollicem pedis, a ſectione vnguis profundiori, quæ greſſum impediebat, & peius malum minitabatur. Curabatur intra duas hebdomadas ſola eſſentia ſabinæ, quiete ſimul iniuncta. Abſtergit enim ſiccatque inſigniter, cum ſenſu quodam lenioris & tranſitoriæ acrimoniæ & exeſionis; vnde mundat, & tonum fibrarum confortat, acidum ichoroſum edulcat, domat, inuertit.

Adeoque vlcera ſordida expurgat, putrida abſumit, ſinuum & fiſtularum callos exedit, & actiuitas eius citra noxam ferri poteſt, imo & moderari eandem licet. Neruoſe hinc *Dioſcorides*, ambarum ſpecierum folia, ait, νομάς, vlcera paſcendo proſerpentia ſiſtunt, & inflammationes impoſita mitigant, cum melle vero inducta nigritias & ſordes depurgant; & carbunculos circum circa exterunt. Hæc omnia ſane ſunt longe veriſſima, & experientia fundata, & ratione comprobata, vt nulla fere ſit planta ſub ſole, magis Chirurgiæ velificans, quam ſabina.

Quid? quod in ſcabie, vlceribus verminoſis, achoribus capitis, tinea ipſa, cum cremore lactis, cum butyro, cum oleo ouorum, herpete miliari, ſordibus cutis aliis, gangræna, ſphacelo, cancro exulcerato ipſo, cui depaſcentis vlceris nomen κατ' ἐξοχὴν competit, ex dictis fundamentis omnem abſoluit paginam. In fiſſuris labiorum ſemel iterumque nobis experta & probata eſt eſſentiæ ſabinæ virtus, alias rebellibus & ſatis moleſtis. Idem officium ſalutare præſtitit in aſcaridibus ani, ipſiusque vteri, decocta cum vino, & debite applicata.

CAPVT

CAPVT IV.

De
Vſitatis, præparatis & productis e Sabina.

VT ferax eſt virium ratione ſabina, ita etiam præparationum & compoſitionum copia ſuperbit. Duplicis generis hæc producta, & veluti fœtus ſunt, ordinaria & extraordinaria, vtraque mora & duratione egentia, nec dum ſatis vulgo explorata.

Vſitata quammaxime e ſabina petita ſunt ipſa HERBA, ſeu folia viridia illa, ſeorſim & κατ' ἐξοχὴν expetita, claſſica, & vſualia, decerpta & ſic a virgultis ſeparata. Hæc hactenus vnice fere in vſum ceſſere, vnde & herbæ nomen & forma, nominari, recipi, & in vſum trahi ſueuit. Et ſane melior, potior & virtuoſa magis hæc pars arbitranda eſt, largiori prouentu emicans. Huius etiam herbaceæ ſubſtantiæ maxime quadrant expoſitæ vires.

Alteram partem in vſum vocandam laudare poſſumus, vel tenemur potius, facto examine & ſcrutinio debito LIGNVM ſabinæ. Obeunt huius vices tum virgulæ iſtæ, viridibus partibus, ſeu germinibus vel foliis orbatæ. Sane vix foliis reſpondent hæc germina, ſi comparentur cum aliarum perennantium virore conſtanti, abiete, picea, iunipero, taxo & aliis, ſed in hoc potiſſimum cupreſſo conformia.

In aliis ſimilibus contigua ſunt magis folia dicta, in his vero magis continua, puta quoad ſeriem, cohæſionem, continuationem, vt fere germina magis foliata dici debeant, quam folia germinibus & ramis inſidentia, maximo indicio luxuriantis fertilitatis, vt certent quaſi inter ſe rami lignoſi,

& foliati, & hi in illos, illi in hos abire, vtrique præeminere contendant.

Diſtinctionem vtrisque largitur color & conſiſtentia præcipue. Color viridis emicat in herba, minus talis, ſed ſui generis & coloris, in virgultis lignoſis. Conſiſtentia foliorum ſeu herbaceæ ſubſtantiæ eſt mollior & delicatior, & quando in vſum ſuum exiccantur, virorem ſuum natiuum retinent, & ſic in puluerem vertuntur egregium, & viſui amœnum. Pars vero lignea variat conſiſtentia, rami flexiles, quoad tenuitatem ſuam & teneritudinem, ad lignum tamen pertinent magis, quod in primis ad oculum patet, ſi tenuiores, medios ac maiores reſpiciamus, maxime vero ad ſtirpem, caudicem & lignum ſibi relictum, citra ramos emiſſos vel ſurculos.

Hoc ipſum magis ſolidum, denſum, compactum, ἄσηπτον, &, quod præcipuum, odoratum eſt, alterius plane coloris, odoris, grati illius, & velut citrini, ſi pro dignitate ſua æſtimetur, vt par eſt, vt mitiſſime dicamus, dolendum, exulaſſe in hunc vsque diem ex officinis. Quod ante plura ſecula ſummo erat in æſtimio, amore, veneratione, vſu, per barbara ſequentia obſcurum quaſi manſit in hunc diem.

Temperatius omnino ipſa herba ſic dicta, & delicatius eſt, non reſinoſæ quidem ſubſtantiæ, in noſtro ſaltim climate, attamen ſulphure ſubtili aromatico ad ſe nos allicit, & quosuis ex condigno cenſores curioſos. Verbo, ex S. C. medico ſtatuendum eſt, in poſſeſſionem vendicandum, & inter claſſica officinalia ligna recipiendum ponendumque eſſe LIGNVM SABINÆ hoc, vel ſenſibus teſtibus, vel viribus potius genuini moris, ipſi ligno ſancto ſi non anteponendum, ſaltim æquiparandum.

Inter ordinaria illa etiam BACCÆ numerari queunt, in officinis adhuc ignotæ, præter meritum. Hoc ipſum vix melius, quam exemplo illuſtrari poteſt, ex quo plura iam dicta etiam lucem fœnerari eidem queunt.

Eſt

Eſt prope Arnſtadium, dimidii milliaris ſpatio diſtante pago Dannheim, reperiunda ſabina annoſa cupreſſi folio, circiter quatuordecim pedum altitudine, diffuſæ in ſummo latitudinis, in medio baccis diues. Baccæ, præter immaturas alias, elegantiſſime emicant, nigerrimæ, magnitudine & forma partim iuniperinas æmulantes, partim ſuperantes, & ad myrtillorum formam externam accedentes, vtrisque quaſi magis ad oualem figuram inclinantes.

Poſſeſſor eſt paſtor, vir LXXXVIII. annorum, ex cuius relatione, & memoria trium ante ipſum poſſeſſorum arbor centum annorum numerum excedit. Primo anno eiusdem experientiæ & obſeruatione loco florum baccæ albidæ erumpant, ad inſtar iuniperinorum triennio vix ad maturitatem & huius indicem nigrorem peruenientes, bina grana plerumque tanquam nucleos continentes, acris ſaporis, purgandi virtute, vt retulit ex ſua experientia, præditæ.

Quo annoſior arbor, eo feracior eſt, experimento non vno, (vix ante XIV. vel XX. annos ferunt fructus,) vnaque ſic maturis, nigricantibus illis, & immaturis, ex albido vireſcentibus, conſpicua. Merentur itaque & baccæ in experimenta & vſum vocari, conformem foliis, quamuis rarius paulo apud nos haberi in copia queant. Magis quidem ſterilis habetur ſabina fœmina communiter, ſed vtramque eſſe bacciferam, præter dicta, confirmant & teſtantur *Fuchſius*, *Dodonæus*, *Cordus*, *Geſnerus*, atque ipſa experientia, verbis *Dalechampii Hiſt. Pl. Lugdunenſ. l. 2. c. 30. p. 183.*

Non poſſumus, quin alterius ſabinæ arboris deſcriptionem addamus, viſendæ in vicinia, Dornburgi, in horto. Huius truncus in longitudine a terra ad ramos ſex, cum dimidio, pedum eſt, in latitudine ſeu craſſitie pedum trium, cum tribus digitis circiter. Rami ſatis craſſi, inſtar tiliæ, exporrecti in circulum quaſi, cuius peripheria pedes ſexaginta ſex complet, in longitudine ad ſex pedes itidem aſſurgentes, vt adeo vniuerſa arboris longitudo ad XII. pedes circiter compleatur.

Hæc vero ſatisfacere poſſunt, ad inferendum & colligendum, quæ, quales, quantæ fabricæ ex hac arbore confieri arte poſſint, vel olim iam conſtructæ fuerint; nedum ad illuſtrandam vniuerſam eiusdem deſcriptionem, ac ideam.

Præter ordinaria hæc e ſabina petenda, tanquam extraordinarium magis productum conſtituunt GELATINA & FVNGI. In vtrisque enim ſpeciebus tempeſtate humida reperiunda, eſt circa ramos GELATINA, ad brunnum colorem inclinans, in fungum abiens, qualis & in internodiis ſtolonum annuorum iuniperi, poſt pluuias exudans notata eſt. Talem vero in fungulos abeuntem non ſemel, in annoſæ ſabinæ ramis, humida tempeſtate, obſeruauit *L. Aug. Hünerwolff*, *Dec. II. Ephem. Germann. Ann. VII. obſeru. 82. p. 146.* Hanc in vitro ſoli expoſitam, inque aquam redactam & propinatam, ſuppreſſos menſes blande & ex voto ciere nouit.

Confirmat idem experimentum alterum, quamuis incompletum. Quando enim rami de ſabina, quod fecimus, v. g. tempore veris, menſe Martio, vel alias, induntur aquæ, vt virides aliquandiu ſeruentur, manifeſto quandam gelatinam vaſis parietibus tactui obuiam videntur affigere; ex quo ipſo quoque efficitur, non adeo reſinoſam, ſed ſimul gummoſam quodammodo eius eſſe naturam.

Fungos hoſce ſabinæ dudum iam obſeruauit celeberrimus botanicus *Mauritius Hoffmannus in Flora Altorffina Deliciis Hortenſibus*, ſub ſabina. Vtraque, recte & ſolide *inquit*, officinalis eſt, & ex pluuiarum frequentia fungis, ſeu ſpongiolis croceis ad ramorum diuiſiones abundare ſolet Martio. Vbi tamen bacciferam fœminam, ſterilem marem ex Tabernæmontano refert.

Meminit quoque fungorum horum *Ionſtonus loc. cit. p. 276. caudex, ait*, ſatis craſſus (ſabinæ folio Tamariſci,) *cortex* ſubruffus. *Rami* flexiles, circa quos verno tempore ſquamoſum quid ac fungoſum vndique cingitur, colore ex pallido rubente, vel ſubluteo rubro, facie auriculæ Iudæ, ſiue fungi, qui ad ſambucum naſcitur. Sed

Sed vt hæc natura aurigante ſponte enaſcuntur & proueniunt, ita arte obſtetricante, non minus ac ex aliis, proſtant & poſſunt parari, vel indies inueniri quoque plura. Locum habet ſabina in ſubſtantia, quod vocant, ſeu in PVLVERE, grosſius quidem vel rarius paulo interius, frequentius exterius, ſeu ſiccandi, ſeu abſtergendi, & aliis laudatis neceſſariis vſibus. Vix vllum vegetabile magis chirurgicis vſibus tam vtile & ſalutare eſt, quam ſabina, ſeu fœtor, ſeu putrilago, ſeu exulceratio, ſeu caro luxurians, ſeu excreſcentia fuerit abſumenda.

Ipſo mercurio præcipitato, alumini vſto, pulueribus cathæreticis, aliisque vel plura præſtat reuera, vel paria ſaltim, innoxia ſua virtute, exhibet. Quantum abſumit ſalina, tantum ſulphurea balſamica virtute reddit, roborat & naturæ amica eſt. Felix, qui nouit, qui applicat, & non terretur vulgatis fulminibus.

Proficua eſt AQVA SABINÆ, iam nota & memorata Arabibus, *Rhaſi*, *Ebnſinæ*, & aliis, quamuis hodie non ita frequentata. Quid impediat, ea vti ad mouendos menſes, ad facilitandum partum, ad alia viſcera reſeranda? Non ita recepta eſt, ex præconcepto odio, ne dicam ignorantia. Imo & externe ad maculas faciei, ad lentigines & alia vitia accommoda eſt, σμηκτικῇ abſterſiua virtute, ne de aliis dicamus. Paratur eadem ex foliis recentibus magis reſpectiue, quamuis non abnuat fieri e ſiccis quoque, cum & ſine vino.

Ingreditur eadem etiam AQVAS COMPOSITAS, vt aquam bryoniæ compoſitam Londinenſium, *pharmacop. p. 72.* vnde & extractum hyſtericum compoſitum conficiunt, ſuis vſibus conſpicuum. Ingreditur ſimiliter aquam dominarum & ad partum facilitandum Mynſichti, qui pluribus compoſitionibus aliis eandem impendit quoque. Ita decoctum emmenagogum eiusdem, ſpiritum vini acuſticum, vt & infuſa & decocta alia conſimilem in vſum exornat.

Sane in menſibus mouendis feliciter ſic impenditur, absque vlla aliqua noxa, vtroque ſeu omnibus modis vſitatis

aliis, quod præfiſcine dixerim. Eadem ratio eſt inſeſſuum, balneorum, fomentationum in menſibus ſuppreſſis. Hæc ipſa vero infinitis modis variari poſſunt a materiæ medicæ gnaris, neque opus eſt hanc in rem compilare ex autoribus exempla. Vnde prius, quam ad alia progrediamur, de SVFFITV ex ſabina addere quædam fas eſt.

Polychreſtus hic eſt, non vno in affectu & prædicatus. Specialiter in menſibus citandis, in partu facilitando, in eryſipelate, in doloribus dentium, loco tabaci fumi probati vſus eſt. Quid? quod in maniacis non inutiliter ſuffitus hic profuit, ne dicam de faſcinatis & dæmoniacis ipſis, in fluore albo item, vlceribus pudendorum, & aliis. Recipitur quoque non incommode in ſubſtantia in electuarium, ſeu *antidotum hæmagogum Londinenſium*, (vbi tamen alumen fruſtra ingreditur ſimul,) vt & ſpecies dialaccæ, non tam dicis gratia, vel vt numerum augeat, quam virtutum, quas addit reliquis.

Sed, ſi pergamus vlterius, OLEVM quoque ſabinæ in vſu eſt, & coctum & deſtillatum. Coctum officinarum, deſtillatum ſimplex & compoſitum, vt crocinum *Mynſichti*. Hoc ipſum vtrumque & alias in vſum cedere poteſt, & in elæoſaccharum redactum. De viribus vero & proceſſu idem vberius videri meretur, ad partem vnam ſcilicet olei ſabinæ ſtillatitii croci partem ſuboctuplam recipiendo, dandis hinc guttis V. & vltra. Valent hæc omnia, modo nouerimus diſtinguere cauſas, tempora & perſonas.

Ceterum olei ſatis fundit ſabina via humida, ſi more oleorum deſtillatorum aliorum ad deſtillandum aptetur, neque tam acre vel violentum eſt, ſed ſatis benignum & tutum, interius & exterius, vt in ſtrumarum imminentium metu, gangliis, tumoribus glandularum, & aliis frigidis in vſum vocandum vtiliter.

Sin via ſicca tractetur, deſtillando herbam exiccatam, quantitate pro lubitu recepta, per retortam vitream ex arena, vel lignum ipſum legibus artis, prodit SPIRITVS acidulus, inſtar ſpiritus tartari, ad eosdem etiam vſus, huic conſimiles, impendendus; hinc oleum nigrum fœtidum.

Præci-

Præcipue etiam ESSENTIA SABINÆ, cum ſpiritu vini apparanda, egregia eſt, virideſcens illa, ſi recens fuerit, more eſſentiæ menthæ & ſimilium. Prompte enim extrahitur, & vtiliter hinc impenditur. Emmenagoga eſt, ſimplex, & compoſita quoque facile reddenda: miſcenda etiam commode cum elixirio proprietatis rubro, cum ſpiritu ſalis ammoniaci, cum aliis.

Imo hanc ipſam genuino modo extrahere integrum eſt, (1.) ex ipſis foliis pulueriſatis, quo de iam diximus, quæ ſucceſſu temporis, pro re nata, etiam colorem paulo mutat, ex viridi ſaturo in obſcuriorem abeuntem. (2.) Ex ligno quoque, eiusque raſura, quo nomine, optimo iure & effectu, idem in eſſentiam lignorum recipere aſſolemus, & decocta.

Probatiſſimi vlterius vſus eſt eſſentia recepta in rebellibus alias fiſſuris labiorum, vlceribus verminoſis, & cacoethicis, putridis, fœtidis, pedum, aliarumque partium. Imo & in tinnitu & ſuſurris aurium, cum oleo carui, aniſi, cum ſpiritu apoplectico. Fortior redditur, ſi ſpiritu proprio extrahatur. Et hæc quoque in morſu canis rabidi egregie proficit, vti & ipſe puluis contuſus ſtatim, vel ſuccus expreſſus cum aceto applicatus.

Remiſcetur & non inconcinne puluis cum melle, cum ſulphure, lithargyrio, minio cum aceto deſtillato præparato, ſucco plantaginis, vnguento pomato, &c. pro diuerſo reſpectu deſiderati vſus in hoc vel illo affectu. Cum oleo araneorum quidam pro arcano habent ad polypum; quo caſu eſſentiam adhibuimus, vnde breui leuamen ſentiunt obſtructæ nares, in principio; quin & in ozæna, in vlceribus aurium opem fert, pluribus nominibus, abſtergit enim, mundat, ſiccat, putredinem arcet, roborat. Idem puta de fiſtulis

Vtque pluribus affectibus externis, non vna forma, quadrat quam optime: ita ſeorſim ingreditur quoque *aquam viridem Hartmanni, l. 2. Praxeos Chimiatricæ, cap. 52.* Quamuis vero baſin eiusdem conſtituat viride æris, præ comis ſabinæ,

 vt

vt vocat, nec hæ adeo magna quantitate ingrediantur; certum tamen eſt, & ipſam eſſentiam ſabinæ, cum vel ſine viridi æris, iisdem omnibus caſibus ex voto ſatisfacere.

EMPLASTRA commode etiam decorat, reſoluendi vſu, in tumoribus frigidis, &, ad inſtar emplaſtri de meliloto, idem ex ipſamet coqui & remiſceri amat. Præuia denique incineratione copioſum SAL largitur, quod ſeorſim in verrucis quidam venerantur. EXTRACTVM etiam inde parare licet, quoad partes lentas amaras fixiores, euolantibus licet volatilioribus.

Reſtarent plura dicenda de fertili virtutibus arbore, integro non ſufficienti volumine, ſed id ſcopo noſtro iam minus quadrat. Paucis multa complecti voluimus, confiſi veritate & experimentis probatiſſimis; vt tamen velut coronidis loco quædam annectamus, non parum laudis ipſi conciliat vſus SVFFIMENTORVM etiam aliorum, ſiquidem thuris locum compleuiſſe non raro, *Plinius* autor eſt, a multis, *inquiens*, in ſuffitus pro thure aſſumitur, *l. 24. Nat. Hiſtor. c. 11.* odora enim eſt arbor & in calidioribus locis etiam forte reſinam fundit, exemplo iuniperi, idq; etiam ſacris vſibus ceſſit indubitate olim.

Idem vero *addit*: in medicamentis duplicato pondere eosdem effectus habere, quos cinnamum, traditur. Idem confirmat & *Pergamenus l. c. l. 6. ſimplic.* qui & in viribus eius laudandis & recenſendis ſatis amplus eſt, v. g. ingredi & recipi in multas antidotos; oleum quoque ſeorſim paſſim commendat, & cum abrotono ad alopecias.

Præbet ſabina etiam ſuo loco occaſionem emblematibus curioſis, quorum quædam ſub finem hunc laudabimus, velut lemmata dictorum, v. g.

1. HVMILEM REDDIT CVLTVRA PROFVNDAM, quod facile ad moralem philoſophiam applicare licet. Ipſa enim ſatis monſtrat, quantum excellat, & celſitudinem virtutum proceritate quoque euectæ longitudinis probare obſequa poſſit.

2. SVR-

2. SVRSVM ATQVE DEORSVM. Cœlum ſuſpicit, ac terram amplexibus ambit; vnde & laborandum, nec terræ tamen vnice adhærendum innui poteſt, omni tamen incuruationi contra ſurſum porrecta extrema videas.

3. ET RAMOS LATE, ET GRATVM DIFFVNDIT ODOREM. Symbolum hoc eſſe poteſt & famæ, & multiplicationis virtutum, & generis ſui. Vix arbor vlla ramoſior, vix grata magis, ſi congeneres & ſymbolicas alias ſpectes, balſamicas.

4. IMMARCESCIBILIS VIRIDANTI FRONDE PERENNAT. Durationis hoc lemma eſt & phyſice & moraliter. Nulla hic teredo locum habet, nullus quaſi morbus. Arbor ſaniſſima, ſi cum cupreſſo, cedro, & quibuscunque aliis comparetur.

5. INTER PERPETVAS PRETIOSIOR VTILIS OMNES. Concedit palmam in ſolis ædificiis, ſed quantum mole cedit, & proceritate, tantum virtute ſuperat & vtilitate, teſte quotidiana experientia.

6. ET VITAM LONGÆVA IVVAT. Si non eſt arbor vitæ, vel paradiſi genuina, vt vocatur, fuerit tamen analoga. Nulla arbor magis eſt medica, quàm ſabina, nulla magis polychreſta, balſamo ſuo vitali delicato, ſalino-ſulphureo, puro, & naturæ amico.

7. ARAS ORNAT, STATVASQVE PROFANAS. Præbeant arbores reliquæ tigna, trabes & alia, ſabina pondus addit & decus, ſeu loquearia ſpectes, ſeu menſas, ſeu ambulacra, quod hic vel verbo delibaſſe ſatis ſit.

8. REDDIT MAIORES INIVSTA CALVMNIA LAVDES. Vulgatum eſt dicterium: calumniare audacter, ſemper aliquid hæret; ſed hoc apud vulgus fere magis, & inertia ingenia valet, quorum eſt effari turpia, & cauillis laceſſere. Supra calumnias ſabina euecta famæ mendacia ridet.

9. CONDIT CONTEMPTV TVTA SECRETA. Fuit hoc quaſi velum, quo vires arcanæ fuere diu ſatis obſcuratæ, nec ex merito in vſum ſæpius vocatæ. Sed fida ſunt illa & certa experi-

menta. Sique vel maxime noxa aliquando ab eius vſu exorta, cautelis vbique opus eſt; prudentia decet medicum, temeraria omnia noxia.

10. VIRIBVS INDIGENIS TOTA SABINA BONA. Poſt, quam Europæo, & Germano noſtro innotuit orbi, vix vrbs eſt, vel pagus illuſtrior, vel hortus, qui non gaudeat ornari ſabina, pluribus obſeruationibus datura dictis lucem.

SOLI DEO GLORIA!

NOn ſecus hic illo, velut arbor ab arbore præſtat:
Eiusdem generis non bonitate pares.
Naturæ accedens artis cultura miniſtræ
Excelſas dotes fœnerat ingeniis.
KRAVSOLDVM videas vtroque hoc nomine clarum;
Vnde caput cingent præmia digna breui.

Gratulabundus ſcrib.

PRÆSES.